heredem. Ipse vero Hinricus comes senior de Wittin mortuus fuit anno Domini M°C°LXXXI III° kl. Septembris sepultusque in Sereno Monte apud patrem suum ad sinistram eius. Cuius viduam Sophiam duxit Hermannus tunc comes palatinus Saxonie, postea eciam comes provincialis Thuringie. Genuit ex ea Juttam uxorem Theoderici marchionis Missnensis, de quo supra dictum fuit descripcionis Ottone et plenius infra dicetur in descripcione filiorum Theoderici. Olricus filius mortuus fuit in castro suo Wittin anno M°CC°VI in infirmitate, que dissenteria vocatur, IIII kl. Octobris relinquens Hinricum filium suum heredem. Sepultus fuit in Monte Sereno in sinistra Frederici comitis de Brene, patrui sui. Oblati sunt pro eo sex mansi in villa Lechenitz.

Fredericus quintus filius Conradi marchionis de Brene duxit uxorem Hedwigim filiam Dippoldi cuiusdam nobilis de Bohemia, qui fuit patruus Odackari ducis Bohemie genuitque ex ea Ottonem et Fredericum, fratres eius, et filiam Sophiam Quedelingenburgensem abbatissam. Mortuo siquidem Frederico seniori de Brene comite anno M°C°LXXXI° pridie Nonas Januarii, sepultus est in Sereno Monte apud patrem suum Conradum marchionem versus occidentem. Post mortem vero eius vidua eius Hedwigis claustrum monialium de Brene una cum filiis suis fundavit, ubi in sancta conversacione vitam finivit. Dedicatum fuit templum anno Domini M°CC°. Preterea Otto filius Frederici, mortuus fuit in iuventute anno Domini M°CC°III° et in Brene sua fundacione sepultus. Fredericus vero frater eius, duxit uxorem Juttam, filiam Frederici comitis de Czegenhagin, fratris Hermanni

M°C°LXXXI III° kl.

Postea

inde scripsit modern. / ygl. corrigirt — s. d. f. d. O. unterstrichen; descripcione

M°CCLXIII°

in

Fred.